Pio & Benevolo Lectori

Joachimus Ursinus

S. P. D.

Non eſt nova, quæ de Cœnâ Dominicâ agitatur, controverſia. Neq; verò de Ceremoniis nunc quidem loquor; de ſenſu verborum Inſtitutionis mihi inprimis ſermo eſt.

Quidam noſtro ſeculo Bacchi æmulus initium Sacramentarii certaminis in tempora Ignatii rejicit, crimen falſi committens, ſive ſecutus Bellarminum, ſive quem alium. Neque enim Bellarminus inde petit originem hæreſews aſſeveranter, ſed tantùm dubitanter, ideoq; mox refutat hoc ſigno evidentiſſimo duplici, tum, quia nullus veterum in Catalogo hunc errorẽ citet: tum quia nullus ex iis primis ſexcentis annis contra diſputet. Neque enim Ignatius hæreticorum meminit, qui in Euchariſtiâ carnem et ſanguinẽ Chriſti negârint; ſed in eos graviſſimè invehitur, qui veritatem corporis Chriſti negabant, proinde ex ſalutari κοινωνίᾳ veræ carnis Chriſti in Euchariſtiâ, veritatem quoque naturæ in Chriſto humanæ probat. Citat Theodoretus dialogo 3. qui eſt ἀπαθὴς.

Poſt. 170. Bell. to. 2. de Euch. lib. 1. cap. 1. p. 459. An. Chriſti 108. Mihi. 298.